



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

xij. De impedientibus eos, qui victualia, & alia necessaria Romam conuehunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13883**

none infidelis, & heretici prohibentur fieri certiores, est status temporalis, non solum totius Christianitatis, & fidei Catholicae & Ecclesiae, sed etiam cuiuscunque particularis Regni, Prouinciae, Ciuitatis, &c. Quo etiam modo intelligendum est, quod additur de consilio, fauore, & auxilio, quod cedit in damnum, & perniciem Christianitatis in communi, aut etiam alicuius Regni, & Prouinciae, aut Ciuitatis, in particulari.

36 *Ostauo* reuocantur Priuilegia concessa quibuscunque Dominis, Principibus, Rebus publicis, aut alijs personis priuatis, vt enim notant Syluest. in verbo, excommunicatio 7. numero 58. excommunicatione 21. & Tabiena, verbo, excommunicatio 6. §. Sexto, & Cardinalis Toletus in explicatione Bullae cœnæ, §. quinto, dubio 1. Genueses olim habuerunt priuilegia a Nicolao Papa, & a Sixto IV. & Veneti a Martino V. deferendi quaedam prohibita ad Turcas, & Saracenos; & simile Priuilegium concessit Iulius Papa II. Genuesibus vt possent portare stannum, aes, plumbum, electrum, & similia, quae priuilegia per Bullam cœnæ Domini reuocata sunt.

## De impediens eos, qui victualia, & alia necessaria Romam conuehant. Cap. XII.

### S Y M M A R I V M.

- 1 Impediens eos, qui victualia, & alia necessaria ad usum Curiae Romanae conuehant, in Bulla cœnæ excommunicantur.
- 2 Excommunicatio octaua Bullae cœnæ, quas personas comprehendat.
- 3 [Curia Romana] nomine quid intelligatur.
- 4 Maleficia ex voluntate, & proposito agentium distinguuntur.

1 **E**Xcommunicatio Octaua fertur in hæc verba: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impediens, seu inuadentes eos, qui victualia, seu alia, ad usum Romanae Curiae necessaria adducunt, ac etiam eos, quine ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, seu perturbant, seu hæc facientes descendunt, per se, vel alios, cuiuscunque fuerint ordinis, prae eminentiae, conditionis, & Status, etiamsi Pontificali, seu Regali, aut alia quavis Ecclesiastica, vel mundana praesulgeant dignitate.*

Canonis istius materia ex Caietan. verbo, excommunicatio, cap. 19. est sacrilegium, quo offenditur sedes Apostolica in suis victualibus, & in alijs ad usum Curiae Romanae necessarijs. Personae principales sunt hæc quinque; Primo, Impediens eos, qui victualia, & alia necessaria ad usum Curiae adducunt. Secundo, Inuadentes eosdem. Tertio, prohibentes, ne praedicta ad Curiam adducantur. Quarto, impediens hæc adduci. Quinto, perturbantes ne ad Curiam afferantur. Vnde, vt notauit Caieta, primo prouidetur hominibus. Secundo rebus adducendis. Persona accessoria vna exprimitur, scilicet, descendentes per se, vel per alios, qui praedicta faciunt. Quae omnes personae huic censuræ subiunguntur, cuiuscunque gradus, status, dignitatis, & praerogatiuae Ecclesiasticae, vel mundanae fuerint. Canon autem iste in Bulla cœnæ fuit saltem a temporibus Martini V. vt patet ex S. Anton. 3. par. titu. 25. cap. 72. & eius etiam mentionem faciunt Syluest. verbo, excommunicatio 7. numero 68. excommunicatione 22. Tabiena, verbo, excommunicatio. 6. §. Duodecimo, versic. Sextus casus, Caietan. verbo, excommunicatio, cap. 19. Martin. Ledesmi, 2. 4. questio. 26. artic. 2. pag. 356. in Bulla Iulij III. & Sotus 4. dist. 22. q. 2. artic. 3. post conclus. 5. in Bulla

Pauli Papae IV. Nauar. in Manual. cap. 27. num. 64. in Bulla Gregorij XIII. sub anno 1584. qui Canon addidit aliud genus personarum, scilicet, exigentes, seu soluere facientes aliquid pro delatione praedictorum, quae tamen personae non continentur in hac Bulla Cœnæ Clementis VIII. sub anno 1598.

3 *Circa* hunc Canonem duo sunt obseruanda; *Vnum est.* Nomine *Curia*, non solum intelligi solam familiam Papae, sed etiam omnes, qui sunt eius sedis tribuales; ita vt *Curia* significet locum, in quo geruntur negotia, & lites.

4 *Alterum est,* Canonem hunc non comprehendere eos qui faciunt actiones in eo expressas, nisi faciant animo impediendi, ne hæc ad Romanam Curiam adducantur; vt enim Caietan. & Nauar. vbi supra, & Alphonfus Viualdus in expositione Bullae cœnæ numero 71. eos secutus, & Cardinal. Toletus, §. 6. in fine. & Sebastian. Medices, par. 2. Summæ titu. 9. questio. 78. numero 206. notat maleficia ex voluntate, & proposito distinguuntur; vnde, si Gubernator alicuius Ciuitatis, consules patriae utilitati, & abundantiae, prohiberet ne quis extrahat de Ciuitate, aut prouincia fruges, & huiusmodi, quamuis inde sequatur, quod ad Curiam Romanam deferri non possint, non propterea incidit in hunc Canonem. Similiter, si quis tempore quo pestis in Curia grassaretur, inhihet suis, ne quis vadat Romam reuersurus, non incidit in hunc Canonem; quia in istis, & alijs similibus, ex accidenti solum agitur contra Curiam, & per se prouidetur utilitati, & sanitati patriae; censuræ verò intelligendæ sunt penes id, quod est per se, & non penes id quod per accidens contingit. Sic Caietan. Nauar. & Alphonfus Viualdus locis allatis, vbi Viualdus rectè Doctorem quendam Salmaticensem secutus, docet, non incurere hanc censuram, qui expoliaret aliquem pecunijs tantum; sicut nec qui assassini officio vtens, vel ob partem inimicitiam impeteret aliquem defertentem victualia, merces, & huiusmodi, alicui particulari personae ratione venditionis, aut donationis; Cum hæc non ad usum Curiae Romanae, sed illius priuatae personae deferantur.

### A D D I T I O.

Adde. Hæc censura non videtur afficere illos, qui clam furantur aliquid his, qui Romam deferunt huiusmodi victualia; quod tamen non esset admittendum quo ad eos, qui itinera obsiderent, apertaque vi eos spoliarent, vt hic aduertit Vgol. §. 2. vers. 3.

## Contra vexantes in Curia morantes, aut venientes ad eam, vel ab ea recedentes. Cap. XIII.

### S Y M M A R I V M.

- 1 Venientes ad Sedem Apostolicam, aut ab ea recedentes, vexans, excommunicationem Bullae cœnæ incurrit.
- 2 Excommunicatio nona Bullae cœnæ quas personas, & actiones contineat.
- 3 Nomine [Curia] quid significetur.
- 4 Morantem in curia vexans, vt in Bullam cœnæ incidat, quid secundum Caietanum facere debeat.
- 5 Canon Bullae cœnæ, quo vexans ad Sedem Apostolicam accedentes excommunicatur, quanta antiquitatis sit.

1 **E**Xcommunicatio Nona fertur in hæc verba: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, sua, vel aliorum opera interficiunt.*